

rentia, quam nota. Deinde considera si argumentum Veneris æquatum fuerit minus 4 sig. 17 grad. id est 137 gra. erit Venus uel in ortu uespertino apparens uel occulta. Intra itaq; tabulam ortus eius uespertini cum signo, in quo fuerit & gradus ibi inuenti, si fuerint plures gradibus differentia inter eam & Solem, erit occulta. Et si fuerint pauciores, erit in ortu uespertino apparens directa. Si autem fuerit argumentum eius à 4 sig. 17 grad. hoc est, 137 grad. in 6 sig. id est 180 gra. erit in occasu uespertino apparens uel occulta, in retrogradatione. Ingredere ergo tabulam eius occasus uespertini, & scias per gradus ibi inuentos & minuta, sicut supra dictum est. Et si fuerit argumentum illius à 6 sig. puta 180 gra. usq; in 7 sig. 14 gra. hoc est 224 gra. erit aut apparens in ortu matutino, uel tecta radijs Solis. Intra igitur cum signo in quo fuerit, tabulam ipsius ortus matutini, & scias an sit apparens uel occulta per gradus ibi scriptos. Si autem idem argumentum fuerit de 7 sig. 14 gra. in 12 sig. id est, 360 gra. erit in occasu matutino apparens uel occulta. Intra ideo cum signo in quo fuerit, tabulam occasus matutini, & agnoscas per gradus illic compertos, utrum sub radijs latitet oculis uel nostris uideri possit, si enim gradus ipsius fuerint plures gradibus differentia inter eam & Solem, non apparebit, & si pauciores fuerint, uisdebitur.

DE TRIBVS AVTEM SUPERIORIBVS.

Si passionem istas scire desideras, animaduertere eorum differentiam & Solis, ut de inferioribus supra dictum est, quam nota, quæ si fuerit planeta, erit idem planeta uel apparens in occidente, uel sub radijs Solis occultus. Intra ergo cum signo in quo fuerit planeta in tabulam occasus planetæ uespertini, & gradus quos ibi inueneris & minuta, si fuerint pauciores gradibus differentia inter planetam & Solem, erit planeta apparens in occidente. Si autem fuerint plures gradibus differentia illius, planeta erit tectus radijs solaribus. Si autem prædicta differentia fuerit Solis, tunc erit planeta apparens uel occultus. Ingredere igitur cum signo in quo fuerit planeta in tabulam ortus matutini & gradus ibi inuentos nota, quæ si fuerint plures gradibus differentia, erit planeta occultus, si uero fuerint pauciores, erit orientalis apparēs &c.

Planetarum uelocitatem, tarditatem, ac æqualitatem inuenire.

Propositio XX.

QUOTIES cunq; uerus motus planetæ alicuius maior est suo motu medio, dicitur cursu suo uelox. Et si minor, dicitur suo cursu tardus. Si autem uerus motus & medius adæquantur, tunc cursu suo æqualis uocabitur.

Ascensum & descensum planetæ scire.

Propositio XXI.

VTRVM planeta ascendat uel descendat tam in deferente quam epicyclo cognoscere. Cum centrum planetæ æquatum fuerit ab uno gradu in 6 sig. erit descendens in ecentrico suo, & à 6 sig. usq; ad 12 sig. ascendens uocabitur. Similiter si argumentum æquatum tui planetæ fuerit ab uno gradu in 6 sig. erit descendens in epicyclo. Quod si fuerit à 6 sig. in 12 sig. erit planeta ascendens in eodem epicyclo, unde ex hoc inueniuntur

3 iiij planetæ